



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm  
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

**Sanderus, Antoine**

**Antverpiae, 1625**

Ionatvs Abbas Marchianensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10172**

Parochialis clerus ante eorum aduentum ignorant. Illud tamen in confesso est magnam olim in Ecclesia sancti Iohannis peregrinationem multamque populi deuotionem in die obitus sanctæ Idæ ad eius altare ac tumbam contigisse. Sed quæ postea superuenerunt in eandem Ecclesiam Diuorum Bauonis, Leuini & aliorum celeberrimæ, certissimæque Reliquiæ, videntur memoriam sanctæ Idæ velut obscurasse, cum autem Cornelius Iansenius primus, foelicis recordationis Episcopus feretra Ecclesie suæ visitaret, quæ annis ferè duobus ob Guesiorum persecutionem, in locis secretis ac subterraneis latuerant, in vnus scrinij schedula reperit scriptum Reliquiæ sanctæ Idæ Virginis & Martyris, cum tamen historia, quæ in manuscripto quodam libro in veteri Ecclesia Diui Iohannis seruabatur, habeat eam matrem fuisse sanctæ Vrsulæ, & de martyrio ipsius nullam faciat mentionem, sed vtrumque hoc est, Reliquiæ in munda linthea, & in nouum feretrum sunt translatae.

## IOANNES MOTA.

**E**ques auratus, vir religiosissimus & sanctus nominatur ab Harduino in manuscripto Diuorum Flandriæ catalogo.

## I O N A T V S

*Abbas Marchianensis.*

**A**Mandus Traiectensis & Aubertus Cameracensis *i. Aug.*  
Episcopi Monasterium Marchianense à B. Rictrude  
Adalbaldi Ducis Duacensis vidua constructum in honorē  
SS. Pe-

Q 3

SS. Pe-



SS. Petri & Pauli sexto Kal. Nou. dedicarunt. In eo Cœnobio primum Monachis ad seruiendum Deo constitutis pastor vigilantissimus datus est Ionatus beati Amandi discipulus. Verum postea rationi consentaneum visum est (quoniam sua bona B. Rictrudis huic loco consecravit) ut ibidem & sanctimoniales collocarentur, quæ quidem per annos 333. vel circiter Ecclesiam Marchianensem rexerunt. Post Normannicam vastationem Leduinus Abbas Vedastinus, petente Balduino Flandriæ Comite Monachos Benedictinos eo in loco constituit. De Ionato versus citat hos Miræus scriptos in ambitu chori Marchianensis:

*Diui Ionati corpus hic sanctissimum  
Reconditur, &c.*

### IULIANVS CONFESSOR.

*Gandavi.*

19. Mar. **N**Vmeratur, inquit Molanus in natalibus hac die, à Nodgero Episcopo Leodiensi inter Sanctos qui in Wintershouen cum B. Landoaldo Archipresbytero quieverunt, & inde Gandauum sunt auecti; scribitque eum & simul Landradam virginem, ac B. Adrianum martyrem iussu diuinæ visionis eleuatos fuisse per Sarabertum Presbyterum ex luto & cisternis, quibus ob Normannicam vastationem fuerant incluso. Reperta sunt etiam in cisternis nomina eorum exprompta in breuiculis. In hac autem translatione, quæ facta est tertio Nonas Martij Sigeburgis Hydropica matrona sospitatem recepit.

IDA